

## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10259**

De S. Equitio abate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

ad eō afflictus fuit, ut cibum capere non posset absque cruciatu horrendo & ineffabili, sacerdos que à mensa surgens, ambularet in horto, misere clamitans & ciuilans: nec posset respondere, si quis ei loqui velleret. Cruciatu autem ille noctibus duplo maior erat, quam aliás, cogebaturque surgere è lecto, & per domum, per virgultam, per alia cursitare loca, licet id nihil ei conferret. Interim tamen ferebat omnia patienter, & ardentia animo implorabat Dei opem, & beatissimam Christi matrem rogabat, ut per Coletam merita aliquod leuamētum obtineret. Cū autem nocte quadam esset in monasterio Visontiensis, vidit in visione, se esse in sacello oratorij Gaudens, ibique vocari se blander à Coleta ea voce, forma & habitu, qua solebat esse cū viueret, sed ita tamen, ut iam luculenta & cumprimis speciosa & iucunda videretur, ipsumque cōsolaretur permanenter & humaniter. Vnde ipse expergefactus, comperit se planè sospitem, sanum & Quidam ex-  
iucūdum: nec illum dolorem postea expertus est. Multa alia præclarā miracula edidit timus vir-  
Dominus Iesus Christus, per humilem ancillam & fidelem sp̄sam suam Coletam, quæ  
nē nimis simus, omittimus. repete hor-  
rendo libe-  
ratur dolo-  
re capit.

### VITA S. EQVITII ABBATIS, PER D. GREGORIUM PAPAM SCRIPTA, LIB. I. DIALOG. CAP. III.

**G**regorius. Fortunati viri venerabilis, Abbatis monasterij, quod appellatur Balneum Ciceronis, aliorumque etiam virorum venerabilium didici relatione, quod narro. Vir sanctissimus, Equitius nomine, in Valerij prouincia partibus, pro vita sua merito apud omnes illuc magnæ admirationis habebatur: cui Fortunatus idem familiariter notus fuit. Qui nimirum Equitius, pro sua magnitudine sanctitatis, multorum in eadem prouincia monasteriorum pater extitit. Hunc cū iuuentutis sua tempore acri certamine carnis incentiu fatigarent, ipse suæ tentationis angustiæ eum ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cumque hac in re ab omnipotenti Deo remedium cōtinuis precibus quereret, nocte quadam, assistente angelo, eunuchizari se vidit: eiusque visioni apparuit, quod omnē motum ex genitalibus eius abscederet: atque ex eo tempore ita alienus exfuit à tentatione, ac si sexum non haberet in corpore. Quia virtute fructus, ex omnipotentis Dei auxilio, vt viris antè præcerat, ita cœpit postmodum etiam foeminis præesse: nec tamen discipulos suos admonere cessabat, nē se eius exemplo in hac re facile crederent: & casuri nō tentarent donum, quod non accepissent.

Eo autem tempore, quo malefici in hac sunt Romana vrbe deprahensi, Basilius, qui in magicis operibus primus fuit, in monachico habitu Valerij fugiens petijt. Qui ad vi-  
rum reuerendissimum Castolum, Amiterninæ ciuitatis episcopum, pergens, petijt ab eo, mulat.  
vt eum Equitio abbati committeret, ac sanandum monasterio illius cōmendaret. Tūc ad monasteriū venit episcopus, secundūq; Basilius monachū deduxit, & Equitium Dei famulum rogauit, vt eundē monachum in cōgregationem susciperet. Quem statim vir sanctus intuens, ait: Hunc quem mihi cōmendas pater, ego non video monachū esse, sed diabolum. Cui ille respondit: Occasionem quāris, nē debeas præstare, quod peto. Ad quem mox Dei famulus dixit: Ego quidē hoc eum esse denuncio, quod video: nē tamē nolle me obedire existimes, facio quod iubes. Susceptus itaq; in monasterio est. Post non multos verò dies idē Dei famulus, pro exhortandis ad desideria superna fidelibus, paulo longius à cella digressus est. Quo discedēte, contigit vt in monasterio virginū, in quo eiusdē patris cura vigilabat, vna earum, quæ iuxta carnis huius putredinē speciosa videbatur, febricitare inciperet: & vehementer anxiari, magnisq; vocibus cū stridore clamares: Modò moritura sum, nisi Basilius monachus veniat, & ipse mihi per suę curationis studium salutē reddat. Sed in tāti patris absentia accedere quispiā monachorum in congregationē virginum non audebat: quanto minus ille, qui nouus aduenerat, eiusq; adhuc vitam congregatio fratru nesciebat? Missum repente est, & Dei famulo Equitio nunciatus, quod sanctimonialis illa immēsis febribus cōstuardet, & Basilius monachi visitationē anxie quāreret. Quo auditō, vir sanctus dignādo subrisit, atq; ait: Nunquidnam dixi, q; diabolus est iste, nō monachus? Itē, & eū de cella expellite. De ancilla autē Dei,

Continujs  
precibus mi-  
randam ob-  
tiner corporis  
castitatem.

Basilis ma-  
gus mona-  
chum se si-  
chulat.

Monasteri-  
um virginū.

quæ

quæ anxietate febrium vrgetur, nolite esse solicii: quia ex hac hora neque febribus laboratura est, neque Basiliū quæstura. Regressus est monachus: & ea hora salutis restitutam Dei virginem agnouit, qua eandem salutem illius, Dei famulus Equitus longè positus nuncianuit, in virtute scilicet miraculi, exemplum tenens magistri: qui in uitatus ad filium Reguli, eum solo verbo restituit salutem, vt reuertens pater ea hora filium restitutum vita cognoscere, qua vitam illius ex ore veritatis audisset. Omnes autem monachi, iussionem patris sui impletentes, eundem Basiliū ex monasterij habitatione repulerunt. Qui repulsus, dixit frequenter se cellam Equitij magicis artibus in aëra suspensus, nec tamen eius quempiam ledere potuisse. Qui non post longum tempus in hac exiit.

Romana vrbe, ex ardente zelo Christiani populi, igne crematus est.  
Basilius magus flaminus  
Iohann. 4: Quadam verò die vna Dei famula, ex eodem monasterio virginum, hortum ingressa est: quæ lactucam conspiciens concupiuit, eamque signo crucis benedicere oblita, audiē momordit: sed arrepta à diabolo, protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem patri Equitio sub celeritate nunciavit est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Moxque hortum idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse, qui hāc arripuerat, diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam: venit illa, & momordit me. Cui cum indignatione vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotenti Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam ultrà contingere prævaluuit.

Quidam verò Felix nomine, Nursiæ provinciæ nobilis, pater huius Castorij, qui nunc nobiscum in Romana vrbe demoratur: cum eundem venerabilem virum Equitium sacrum ordinem non habere consiperet, & per singula discurrere, atq; studiosè prædicare: eū Concionari quadam die familiaritatis ausu adjicit, dicens: Qui sacrum ordinem non habes, atque à Ro quibus in terdictum. mano pontifice, sub quo degis, prædicationis licentiam non acceperisti, prædicare quomodo præsumis? cui, eius inquisitione cōpulsus, vir sanctus indicauit, prædicationis licentia qualiter accepit, dicens: Ea, quæ mihi loqueris, ego quoquè tecum ipse per traicto. Sed quadam nocte speciosus mihi per visionem iuuenis adstitit, atq; in lingua mea medicinale ferramentum est, phlebotomum posuit, dicens: Eccè posui verba mea in ore tuo: egressere ad prædicandum. Atq; ex illo die, etiā cùm voluero, de Deo tacere nō possum.

Petrus: Velle etiam patris huius opus agnoscere, qui fertur talia dona à Deo percepisse.

Gregorius: Opus, Petre, ex dono est, nō donum ex opere: alioquin gratia iam nō est gratia. Omne quippe opus dona preueniunt, quanvis ex subsequenti opere ipsa etiam dona succrescant. Nè tamen vitæ eius cognitione frauderis, benē hanc reuerendissimum vir Albinus, Reatinæ antistes ecclesiæ, cognouit, & adhuc supersunt multi, qui scire poterunt.

Vix munditia debent esse prediti concionatores. Sed quid plus queris operis, quando concordabat vitæ munditia cum studio prædicationis? Tantus quippe illum feruor ad colligendas Deo animas accederat, vt sic monasterijs præcesset, quatenus per ecclesiæ, per castra, per vicos, per singulorum quoniam fideliū domos circunquaue discurreret, & corda audiētum ad amorem patriæ celestis excitaret. Erat verò valde vilis in vestibus, atq; ita despexit, vt si quis illum fortasse nesciret, salutatus etiam resalutare despiceret: & quoties alia tendebat ad loca, iumento sedere consuecerat, quod esse despiciabilius omnibus iumentis in cella potuisset: in quo etiam capistro pro freno, & veruecum pellibus pro sella vtebatur. Per semetipsum sacros codices, in pelliciis sacculis missos, dextro leuoque portabat latere: & quoquæ peruenisset, scripturarum aperiebat fontem, & rigabat prata intentium.

Huius quoq; opinio prædicationis ad Romanæ vrbis notitiam peruenit, atque, vt est lingua adulantium, auditoris sui animum amplestendo necans: eo tempore clerici huius Apostolicæ sedis antifiti adulando questi sunt, dicentes: Quis est iste vir rusticus, qui autoritatem sibi prædicationis arripiuit, & officium Apostolicum nostri domini sibi met in doctus usurpare præsumit? Mittatur ergo, si placet, qui huc eum exhibeat, vt quid sit Ecclesiasticus rigor, agnoscat. Sicut autem moris est, vt occupato in multis animo, adulatio valde subrepat, si ab ipso cordis ostio nequaquam fuerit citius repulsa, suadētibus clericis consensus Pontifex præbuit, vt ad Romanam vrbe duci debuisset: & quenam sua esset mensura, cognoscere. Iulianus tamen tunc defensorē mittens, qui Sabinensi ecclesiæ postmodum in episcopatu præfuit, hoc præcepit, vt cū magno eū honore deducret, nè quam Dei famulus ex conuentione eadē iniuriam sentiret. Qui parere de eo clericorum votis concitus volēs, festinè ad eius monasterium cucurrit, ibiique absente illo antiquarios scribentes reperit: ubi Abbas esset, requisivit. Qui dixerunt: In valle hac,

qua

Adulatorū lingua existialis.

Multis oculis cupido facile imponit adulatio.

quæ monasterio subiacet, fœnum secat. Idem verò Julianus superbum valdè atq; contumacem puerum habuit, cui vix poterat vel ipse dominari. Hunc ergò misit, ut ipsum ad se sub celeritate perduceret. Perrexit puer, & proteruo spiritu pratum velociter ingressus, hominesq; illuc intuens fœnum secantes, requisiuit quisnā esset Equitus. Moxque ut audivit, quis esset, eū adhuc longè positus adspexit, & immēso timore correptus cœpit timore lassescere, seq; ipsum nutantigressu vix portare posse. Qui tremēs ad Dei hominem peruenit, atq; vlnis humiliter submissis, eius genua deosculans strinxit, suumque dominum ei occurrisse nuncianit. Cui resalutato Dei famulus precepit, dicens: Leua fœnum viride, porta pabulū iumētis, in quibus venistis: eccè ego (quia parūm superest) opere explero te subsequor. Is autē, qui missus fuerat, Julianus defensor mirabatur valde, quidnā esset, quod redire moraretur puer. Cumque reuerentē puerū conspicit, atq; in collo fœnum ex prato deferentem, vehementer iratus, cœpit clamare, dicens: Quid est hoc? Ego te misi hominē deducere, non fœnum portare. Cui puer respondit: Quem queris, eccè subsequitur. Et eccè vir Dei clauatis calceatus caligis, falcem foenariam in collo deferens veniebat. Quem adhuc longè positum puer suo domino, quia ipse esset, quæ quereret, indicauit. Idem verò Julianus repente ut vidit Dei famulum, ex ipso habitu despexit, eumq; qualiter deberet alloqui, proterua mēte preparabat. Mox verò ut seruus Dei cominūs affuit, eiusdem Juliani animum intolerabilis paor inuasit, ita ut tremeret, atq; ad insinuādum hoc ipsum, pro quo venerat, vix sufficere lingua potuisset. Qui humiliato mox spiritu, ad eius genua cucurrit, orationē pro se fieri petij: & quia pater eius, Apostolicus pontifex, cum videre vellet, indicauit. Vir autem venerandus Equitus cœpit inmenas gratias omnipotēti Deo agere, asserens, quod se per summum pontificem gratia superna visitasset. Illicò vocauit fratres, precepit hora eadem iumenta præparari, atq; executorum suū cœpit vehementer vrgere, ut citò abire debuissent. Cui Julianus ait: Hoc fieri nullatenus porest, quia lassatus ex itinere, hodiē nō valeo abire. Tunc ille respondit: Contristas me fili: quia si hodierna die non egredimur, Eius pro- iam crastina non exiemus. Dei itaq; famulus executoris sui lassitudine coactus, in mo- Phetia. nasterio suo eadem nocte demoratus est. Sequenti verò die sub ipso lucis crepusculo, vehementer equo in cursu fatigato, ad Julianū puer cum epistola peruenit: in qua præceptum est ci, nē scrum Dei contingere vel mouere de monasterio auderet. Quē cùm ille requireret, cur sententia esset mutata: cognouit, quia nocte eadem, in qua ipse executor illuc missus est, per visum pontifex fuerat vehementer exterritus, cur ad exhibendū Dei hominem mittere præsumpsisset. Qui protinus surrexit, seq; venerandi viri cōmendans orationibus, ait: Rogat pater noster, nē fatigari debeatis. Cumq; hoc Dei famulus audiret, contristatus ait: Nunquid non die hesterno dixi tibi, quia si statim non pergerez, iam pergere minimè licet? Tunc pro charitatis exhibitione aliquantulūm executorum suum in Cella detinuit, eiq; laboris sui cōmodum coacto renitentique dedit. Cognoscere igitur, Petre, in quanta custodia sunt, qui in hac vita scipios despiciere nouerunt: cum quibus intū ciuibus in honore numerantur, qui despecti foris hominibus esse non erubescunt: quia & contrā in Dei oculis iacent, qui apud suos & proximorū oculos per inanis gloria appetitum tument. Vnde & quibusdam veritas dicit: Vos estis qui Luc. 16. iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum.

Petrus: Miror valdè, quod de tali viro surripi pontifici tanto potuerit.

Gregorius: Quid miraris Petre, quia fallimus, qui homines sumus? An menti excidit, quod d'auid, qui prophetę spiritum habere consueverat, contra innocentem Iona- z. Reg. 16.  
thā filium sententiam dedit, cùm verba pueri mentientis audiuīt? quod tamen quia per Dauid factum est, & occulto Dei iudicio iustum credimus, & tamen humana ratio ne qualiter iustum fuerit, non videmus. Quid ergò mirum, si ore mētientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetę non sumus? Multum verò est, quod vniuersusque presulis mentem curarum densitas vastat. Cumq; animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula: tantoq; ei in unaquilibet resurripit, quanto latius multis occupatur.

Petrus: Vera sunt valdè, quæ dicas.

Gregorius: Silere non debedo, quod de hoc viro, Abbate quodam meo reuerendissi- punitur ir-  
mo Valentino narrante, agnoui. Aiebat nanque, quia corpus eius dū in beati Lauren- reuerentia  
tij martyris oratorio cœstum humatum, super sepulcrū illius rusticus quidam arcum cum erga monu-  
frumento posuit, nec quantus qualisque vir illuc iaceret, perpendere ac vereri curauit. mentum s.  
Tunc repente turbo cœlitus factus, rebus illuc omnibus in sua stabilitate manentibus,

K arcum,

arcam, quæ superposita sepulcro eius fuerat, extulit, longeque proiecit, ita ut palam cun-  
cti cognoscerent, quanti esset meriti is, cuius illic corpus iaceret.

Etiam ea, quæ subiungo, prædicti venerabilis viri Fortunati, qui valde mihi ætate, ope-  
re & simplicitate placet, relatione cognoui. Eandem Valeria prouinciam Longobardis intrantibus, ex monasterio reuerendissimi viri Equiti in prædicto oratorio ad sepul-  
crum eius monachi fugerunt. Cumque Longobardi sauietes monasterium intrassent,  
cooperunt eosdem monachos foras trahere, ut eos aut per tormenta discuterent, aut gla-  
dijs necarent: quorū vnum ingemuit, atque acri dolore commotus, clamauit: Heu heu  
sancte Equiti, placer tibi quod trahimur, & non nos defendis? Ad cuius vocem protinus  
seuientes Longobardos immundus spiritus inuasit: qui corruentes in terram, tam diu  
vexati sunt, quousquè hoc cuncti, etiam qui foras erant, Longobardi cognoscerent, qua-  
tenus locum sacrum temerare vterius non auderent. Sicque vir sanctus, dum discipu-  
los defendit, etiam multis post remedium illuc fugientibus præstitit.

VITA S. THOMAE A QVINATIS, SANCTITA-  
TE ET DOCTRINA CLARISSIMI, PER F. LAVR.  
Surium ex scriptis fide dignis collecta & confecta.

y. Martij.



Genus &  
patria s.  
Thomæ.

Eremita  
Bonus.

Chartulam  
angelica fa-  
lutatione  
inscriptam  
deglutit.

Traditur in  
Casinense  
monaste-  
rium.

Ræstantissimus vir D. Thomas Aquinas, tot fuit diuinitus  
auctus & naturæ & gratia donis, ut inter præcipuas Ecclesiæ  
Dei columnas non immerito numeretur. Vita eius à dinessis  
conscripta habetur, sed à plerisque nimis breuiter: à non  
nullis verò prolixè satis, sed styllo, quod ad quosdam attrinet,  
rudi & impolito, ut lectorum emunctioris naris facile possit  
offendere. Itaque quæ ad tanti viri laudem & gloriam face-  
re videbantur, aliquanto fusiùs, seruata tamen mediocrite-  
te, colligere studui, idque paulo latiniùs, quam ij, ex quibus  
ea descripsi, ut laudetur præpotens Deus in sancto suo, & vir  
beatissimus eo, quo par est, ab omnibus honore afficiatur.

Quod igitur ad genius eius & patriam attinet, patrem habuit ex illustri familia Comitū  
Aquinatum, cumque Landulphum nomine: matrem verò Theodoram, & generis &  
morum nobilitate insignem, patria Neapolitanam. Porro cùm adhuc mater eius The-  
odora eum vtero gestaret, vir quidam sanctus, in Campania monte quodam cum ple-  
risq; alijs vitam ducens eremiticam, re & nomine Bonus, ob vita sanctitatem iam fama  
celebris, ad eam in castro suo Rocha Sicca morantem accessit, eiique dixit spiritu pro-  
phetico: Letare domina Theodora, paries enim filium Thomam, qui toto orbe ob vi-  
ta & eruditio[n]is præstantiam celebrabitur. porro S. Dominici institutū idem ipse com-  
pleteatur. Cui illa respondit: Fiat Domini voluntas. Natus deinde puer est, & Thomas  
vocatus, nutricique traditus: quæ cùm eum aliquandò in balneo aquis vellet abluiere,  
manum extendens infantulus, chartulam è terra sustulit nullo innuete, eamque com-  
pressa coepit retinere manu. Nutrix autem eum lauare cupiens, conata est chartulam è  
manu eius extrahere: at ille id non ferens, acriter flere coepit. Itaq; nutrix pierate com-  
mota, noluit ei molesta esse: illaq; cessante, ille quoquè lachrymari desit. Relicta igitur  
in manu eius chartula, nutrix eum abluit, ablutumque extersit & induit. Rem autem  
totam matri eius indicavit, quæ egrè tandem infantis manum aperuit, ex eaque char-  
tulam euallit, in qua scripta visebatur angelica salutatio. Infans verò chartulam in-  
stanter repetit, atque demùm ploranti redditam, ille mox deglutivit. Visa est ea res  
plerisque non vacare & miraculo & mysterio, quod eximius olim Ecclesiæ doctor fu-  
turus, in eam chartulam ante omnes ineditum, quæ nostræ salutis incundissima initia  
contineret. Solebant postea illi lachrymanti libellum aliquem offerre, eoque appre-  
henso, lachrymas remittebat, non sine multorum admiratione, qui inde colligerent,  
magnos illum in literis progressus habiturum. Quoties etiam librum aliquem conspe-  
xisset in tenera aetate, ad illum accurrebat, & voluendo chartas, eiusmodi se ludo instar  
puerorum oblectabat.

Iam verò ubi ad quintum peruenit etatis annum, à parentibus ad amplissimum illud  
Casinense monasterium missus est, & pietate & literis imbuendus. Eius monasterij fra-  
tres militant Christo sub regula S. Benedicti. Factū hoc est magno diuinæ prouidentiæ  
consi-